



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVII. Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

lem expectant boni Christi fideles,
& prægustant interdum spirituales
ac mundi corde, quorum conversa-
tio est in coelis.

Parum est, & breve omne huma-
num solatium.

Beatum, & verum solatium, quod
intus a veritate percipitur.

Devotus homo ubique secum fert
consolatorem suum Jesum, & dicit
ad eum: *Adesto mihi Domine Jezu*
in omni loco, & tempore.

Hæc mihi sit consolatio, liben-
ter velle carere omni humano so-
latio.

Et si tua defuerit consolatio, sit
mihi tua voluntas, & iusta proba-
tio, pro summo solatio.

Non enim in perpetuum irasceris,
neque in æternum comminaberis.

CAPUT XVII.

Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda.

Fili, sine me tecum agere, quod
volo, ego scio, quid expedit.

L

Tu

Tu cogitas sicut homo, tu sentis in multis, sicut humanus suadet affectus.

Domine verum est, quod dicis. Major est sollicitudo tua pro me quam omnis cura, quam ego gerere possum pro me.

Nimis enim casualiter stat, qui non projicit omnem sollicitudinem suam in te.

Domine, dummodo voluntas mea recta, & firma ad te permaneat, fac de me, quidquid tibi placuerit.

Non enim potest esse nisi bonum, quidquid de me feceris.

2. Si me vis esse in tenebris, sis benedictus: & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus: & si me vis tribulari, sis æque semper benedictus.

Fili, sic oportet te stare, si meum desideras ambulare.

Ita promptus esse debes ad patientiam, sicut ad gaudendum.

Ita libenter debes esse inops, & pauper, sicut plenus, & dives.

3. Domine, libenter patiar pro te, quidquid volueris venire super me.

Indifferenter volo de manu tua bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipere, & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere.

Custodi me ab omni peccato, Et non timebo mortem, nec infernum.

Dummodo in æternum me non projicias, nec deleas de libro vitæ; non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis super me.

C A P U T XVIII.

Quod temporales miseriæ, exemplo Christi, æquanimitèr sunt ferendæ.

1. **F**ili, ego descendi de cœlo pro tua salute: suscepi tuas miseras non necessitate, sed charitate trahente: ut patientiam disceres, & temporales miseras non indignanter terres.

L 2

Nam